

Vienne, 22 juillet 1600.

1 Literae Ill<sup>mæ</sup> R. Vestrae, per D. Ericum Falk datae (alias enim non vidi) merito gratae mihi et iucundae fuerunt. Eas quidem ipse dudum praeoccupassem, nisi, tenuitatis meae memor, in iustiorem scribendi occasionem differendum existimassem nunc autem adeo humaniter  
 5 invitatus, idque in causa admodum pia, non amplius cunctandum censui. Maluissem tamen in consiliis tantorum virorum explicandis, pro Dei gloria, vitam ipsam exponere, quam in re tanti momenti mea suggerere. Verum quoniam ita placuit, ut vel errore meo salutaris alicuius consilii occasionem praebeam, libens obsequar, atque quod mihi  
 10 ad hanc rem occurrit, libere exponam.

Ad religionis causam apud Danos et Norvegos hoc tempore difficilis patet accessus, tum quod haeresis altissimas ac diutinas radices egerit, tum quod ex eadem magnus ad Regni Proceres questus redeat; multique qui eam parati sunt propugnare inveniantur. Interim tota res à Rege et Senatu pendet, quibus reliqui omnes obediunt; ut ob id, quo aliquando firma religionis fundamenta in illis regnis locentur, ante omnia cum Rege et Senatu agendum esse censeam: tum etiam ne, si animadverterint secrete cum populo agi, aliud, quod semper timent, agi suspicati, omnem aditum paecludant.

20 Cum Rege et Senatu aperte rem ordiri, non minus difficile fuerit quod ab ineunte aetate, ex calumniis haereticorum, adeo acerbum odium religionis catholicae imbiberint, ut nihil neque à pietate, neque à sana mente, hac ipsa alienius esse existiment. Quae opinio nisi iisdemeruatur, nullo pacto ut secum de religione agatur, admissuri  
 25 videntur, nisi ea auctoritate illis actio offeratur, ut eam sine suo periculo detrectare non possint; cuius modum necdum video. Insinuatione proinde viam tentandam arbitror, ut, velut aliud agendo, scripto aliquo ad Maiorum suorum religionem instituantur, idque tam latina quam vernacula eorum lingua, ne docti, dum vulgari lingua scriptu

✓ contemnunt, ea legere deditgentur, ut indocti per se eadem intelligere possint.

Porro illius insinuandi ratio eiusmodi occurrit. Confessionem quandam Maiorum, incolarum trium Regnum, Daniae, Sueviae et Norvegiae, subcessivis horis conscripsi, planam et sine contentione placidam, necnon ad lectorem catechizandum, ut potui, accommodatam. Haec si probaretur, illam Regi et Senatui Dano dedicarem. Verum me illis suspecta esset, in praefatione p[re]ae me ferrem ex officio me tantum hoc agere, ut communionem Maiorum nostrorum Regnumque homini ac securitati consulatur. Quandoquidem enim in eo errore pl[er]ique versantur, ut a calumniatoribus decepti optimos Maiores suos, qui ipsis septingentis prope annis christiana[m] fidem cum toto christiane orbe praecoluerunt, omnesque eiusdem fidei christianos, contra omnem humanitatem, etiam in parentes suos pietatem iniuria perfidiae atque idolatriae accusent, eosque ad inferni incendia, quantum in se est, condemnent, in non exiguum tum Maiorum, tum aliorum christianorum Regnum iniuriam atque praeiudicium; unde ipsis Regnis aliquando incommodari poterit: ideo me Maiorum christianam Confessionem scripsisse, ut ex ea omnes liquido intelligant, sibi impositum esse, graviterque in Maiores peccare, qui longe aliter quam illis affingatur crediderunt; aliisque longe fundamentis, quam malevoli quidam calumniati sunt, in religione sua nixos fuisse quod ut Rex et Senatus perviderent, malisque mature succurrerent, me, pro meo erga Regem meum et patriam amore, hanc Confessionem sub nomine et patrocinio eorum in lucem edidisse.

Hac igitur occasione exemplaria plurima in utroque Regno per familiares disseminari poterunt, quae hoc nomine quod Confessio Regi et Senatui dicata sit, liberius in manus popularium versarentur. Interea etiam tanta eligeretur iuventus, quanta in seminariis ali posset, unde aliquando suppeterent operarii, qui spem omnem, undecunque sese ostendentem, prosequantur. Illud autem hic inseram: hic

✓ intellectum esse Illustriss<sup>um</sup> Cardinalem, Reverendiss<sup>um</sup> Olomucensem à S. D. N<sup>ro</sup> petiisse pro suis cleris seminarium Olomucense, quod in gratiam Septentrionalium institutum erat; quod si concedatur, magnum erit salutis eorum Regnorum impedimentum. Quod si Ill<sup>mus</sup>

5 Cardinalis hoc scivisset, sat scio, non petiisset; neque de tam necessaria eleemosyna Regnis tam afflictis intercipienda cogitasset. Quare etiam ne fiat, suppliciter rogo, atque adeo etiam obsecro. Ad dam et aliud. Ad dicta consilia, si probentur, explicanda, iam quasi viam alia occasione sterni<sup>y</sup> videri. Nam, ut nuper ex R<sup>di</sup> P. Nostri

10 literis intellexi, decretum est ut ad similia curanda brevi in Poloniā proficiscar; quae profectio si succedat, ibi adminicula plurima ac necessaria ad haec, si mihi iniungantur, promovenda sum. Sed reliqua persequar.

Hoc posito initio, propius ad rem accederetur, si S.D.N. per &

15 Regem Poloniae vel Archeducem Albertum Belgicum, nomine Imperatoris Catholicorumque Regum ac Principum, invitari curaret Danos ad unitatem fidei christianaequae societatis. Esset haec invitatio illis non tantum honorifica, sed etiam *huiusmodi*, quam non facile abnuerent; quod vererentur, ne ea contempta, aliud sequeretur quod perinde contemni non posset, quodque ipsi sibi diu ominati sunt, tum quia se à fidelium communione, Ecclesiis spoliatis, separaverunt, tum quid ex gratia Imperatoris Caroli et Regum Hispaniae hactenus apud Danos regnant Reges electitii.

Post haec, si opus erit, provocari poterunt Provinciae ad poscendum avitae religionis usum, prout eius libertas, ab initio quo haeresis inducta est, promissa fuit, quam nemo interea revocavit.

Haec sunt, Ill<sup>me</sup> Domine, quae de ratione qua illa Regna iuvari posse existimem, pro tempore occurrerunt: quid autem expediatur, quidne magis miseris Regnis salutare sit, id Dominus Iesus, cuius honor agitur, Sanctae Vestrae Congregationi inspirare dignetur. Ex huius etiam felici successu confido compensandum quicquid Ill<sup>a</sup> R.V<sup>a</sup> ex prioris religionis quiete detractum queritur eiusdem autem sanctis sacrificiis ac precibus me humiliter commendabo. Viennae 22 iulii anno 1600. Illustris<sup>mæ</sup> ac Rev<sup>diss.</sup> D. V<sup>rae</sup> Servus in Christo